

Google


SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM THE
SUBSCRIPTION FUND
BEGUN IN 1858.
23 Jan. 1873.

De condicionalium sententiarum apud Tacitum formatione.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

quam ad summos in philosophia honores ab amplissimo philosophorum ordine Lipsiensi rite impetrandos scripsit

MAXIMILIANUS MORGENROTH,

Salfeldensis Thuringus muneris scholastici candidatus.

SALZUNGAE.

Sumptibus et typis L. Scheermesseri.

MDCCCLXVIII.

1873, Jan. 23
Subscription Fund.

Quanquam de Taciti et universa oratione et in singulis rebus proprietate haud exiguus est commentationum numerus, tamen etiam nunc ex ejus scriptorum diligentiore pertractatione magnum posse percipi fructum nuper docuit Woelfflinius, qui in Philologi vol. XXV fasc. I et quibus vitiis laborent omnia et vetustiora et recentiora de ea re scripta disseruit, et quomodo sit rectius instituenda quaestio, exemplis e formatione et usu vocabulorum, e syntaxi, e stili qui proprie dicitur natura petitis ipse demonstravit.

Ad duas potissimum res animum attendere oportet, primum ut quam accuratissime omnia colligas exempla, deinde ut discernas varia scripta et aetates neve excepto dialogo de oratoribus eundem fuisse in omnibus scriptis. Taciti stilum existimes.

Non omnia, ut jam dixi, confecit Woelfflinius, ex enuntiatis sola comparativa, temporalia, causalia. Quare ego condicionalia, quae accuratioris cognitionis haud minus egent, tractanda mihi proposui.

De hoc sententiarum genere, in quo summa est Taciti varietas, ex iis quae ego cognovi scriptis copiosissima est Jungclauseni de Taciti stili proprietate in usurpandis temporibus modis participiis quaestio syntactica (Kil. 1848); nihilominus in hac quoque vitiorum, quae in ceteris reprehendit Woelfflinius, alterum non ubique, alterum nusquam est vitatum. Quae cum ita sint, operae pretium me facturum spero, si de hac re subtiliorem instituero quaestionem.

Satis constat, tria esse in lingua latina condicionalium enunciatorum genera: Quod enim continetur condicione cogitari potest aut tanquam sit, aut tanquam esse possit aut tanquam non sit. Secundo et tertio generi communis est conjunctivus in protasi positus, major tamen est primi et alterius similitudo, quippe inter quae non grammaticum sed tantum rhetoricum versetur discrimen. Quodsi est Taciti in formandis condicionalibus enuntiatis proprietas perquirenda, conjunctim haec sunt pertractanda rationesque quas in usurpando utroque sequitur historicus perscrutandae.

Qua in re quae sit ejus consuetudo facilius perspiciemus, si ea enuntiata quae generalem et ea quae singularem efficiunt sententiam, seorsum tractaverimus. Ac primum de generalis notionis condicionalibus enuntiatis dicemus, in qua disputatione rursus sunt distinguenda praesens et praeteritum tempus.

Praesentis in omnibus scriptis paene ubique conjunctivum posuit Tacitus: indicativum haec sola exhibent exempla: A 30 Raptores orbis . . . . . jam et mare scrutantur, si locuples hostis est avari, si pauper, ambitiosi G 20 Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, avunculi; — quibuscam conferas: a. IV, 17 . . . . adulatione, quae moribus corruptis perinde anceps, si nulla et ubi nimia est, — in quibus omnibus verbum substantiale praedicati vices obtinet. Ceteri omnes loci praebent praesentis conjunctivum: D 9, 12, 16, A 24, G 7, 10, 13, 14, 17, 40, 45 h. I, 16, 83 bis III, 86, IV, 64, V, 6 a. III, 54 bis XI, 24 XIV, 14. quibus accedit ejusdem generis sententiola obliquae orationi interposita a. XIV. 20: si vetustiora repetas.

Annotandum est in minoribus scriptis promiscue alteram et tertiam personam talibus in enuntiatis esse adhibitam, in majoribus plerumque alteram, rarius tertiam, cujus in annalibus unum exstat exemplum: XIV, 14.

Porro collatis omnibus exemplis id fit perspicuum, raro nec nisi in ejus generis, quod in historiis et annalibus frequentius est, locis in apodosi usurpatum esse conjunctivum: D 16 a III, 54.

Praeteriti conjunctivo nusquam in generalibus sententiis usus est Tacitus. Invenitur enim perfecti indicativus in his locis: G. 10, 11 bis, 16, 39 (si forte) a. IV 33, 38 (in priore annalium loco quidam, evenit' praesentis indicativum esse putant, quae opinio refelli mihi videtur iis, quae supra observavimus), futurum secundum in his: G 23 a III, 54. Animadverti, ubi tertia est persona, perfectum, ubi secunda, futurum exactum esse usurpatum.

Causa facilis est intellectu: Non pertinet generalis sententia ad certum aliquod tempus; perfecto id solum significatur, priorem esse protasin quam apodosin. Contra altera persona efficit, ut generalem formam exuat enunciatum; quo fit, ut adhiberi possit futurum tempus.

Consilio unum omisi incertae scripturae exemplum: G 21, ubi prima manu scriptum erat: abeunti, si quid poposceris, concedere moris; a secunda manu poposceris est in poposcerit mutatum. Sane alterius personae est quaedam durities; sed quaero num possit tolerari: poposcerit, quod si pro perfecti conjunctivo est habendum nihil est non modo in Germania sed in omnibus Taciti scriptis, quod cum hoc possit

conferri, si pro futuro secundo, id valet quod modo disserui. Quare censeo restituendam esse primae manus scripturam, duram quidem, sed a Taciti orationis colore et vigore non plane alienam.

Cum his locis non sunt ii confundendi, ubi plusquamperfecti indicativo significatur iterata actio; perpauci sunt prae eorum, in quibus conjunctivus est adhibitus, numero: h. II, 94 a. I, 44 VI, 27 (21) XV, 38.

In condicionibus ad singulas res pertinentibus creberrimus est indicativi usus. Celerum in minoribus scriptis, maxime dialogo minus vitatur conjunctivus quam in majoribus, quod demonstrabunt exempla, bina dialogi et Agricolae, singula historiarum et annalium: D 10: nobis satis sit privatas et nostri saeculi controversias tueri, in quibus si quando necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata. D 12 vel si haec fabulosa nimis et composita videantur, illud certe mihi concedes cet. A 44 quodsi habitum quoque ejus posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit. A 46 admiratione te potius . . . . et, si natura suppeditet, imitando colamus. h I, 84 si Vitellio et satellitibus ejus eligendi facultas detur, quem nobis animum, quas mentes imprecentur, quid aliud quam seditionem et discordiam optabunt! a III, 54: sed si quis legem sanciat, poenas indicat, idem illi civitatem verti . . . clamitabunt. — In dialogi locis haud minus conveniebat indicativus; in Agricolae capite 44. fortasse per urbanitatem quandam conjunctivo usus est auctor, in cap. 46 consilio, num ad imitandum Agricolam suppeditet natura in dubio reliquisse videtur.

Condicio quae est in historiis I, 84 omnino ea est, ut per indicativum exprimi nequierit; denique in annalium loco non forte id quod fieri nec vult nec sperat Tiberius, in conjunctivum transposuit. Nam si quis forte existimet, esse conjunctivi causam particulam si quis, hunc refellunt et id quod paulo infra sequitur: si quis pollicetur et haec D 33 h III, 2 a XIV, 56.

Plura exempla adhibiti conjunctivi in ejusmodi sententiis, quanquam omnia quam diligentissime potui collegi, non inveni. Indicativi varia tempora reperiuntur: in solis annalibus imperfectum III, 71 bis, praeterea praesens D 5 bis 9, 16, 18, 32, 33 A 46 h I, 16, I, 29, 30 II, 77 III, 2 IV, 58 a I, 43 III, 12, 50, 54 IV, 35, 37, 40 bis XII, 37 bis XIV, 56 XVI, 22, 31; perfectum D 20, 29, 42 A 3 h IV, 58 a. III, 12 bis XV, 2, futurum exactum D 9, 16, 18, 25, 28, 32 h III, 20 IV, 48, 58 a II, 38 III, 54 XII, 37 XIV, 56 XVI, 22. — Duae res ex his possunt disci: nullum esse usurpati primi futuri documentum;

creberrimum, esse ipsius praesentis indicativum, cujus facillime toleratur conjunctivus.

Quodsi omnia quae de primo et secundo condicionalium enuntiatorum genere animadvertimus, brevites complectimur, sequitur, non tam ad variandam orationem quam ad distinguendam sententiarum naturam cum in omnibus tum in recentioribus scriptis conjunctivi et indicativi usum apud aequales plerumque promiscuam adhibuisse Tacitum.

Neque tamen ad finem perduximus de secundi generis condicionibus quaestionem. Solent contendere grammatici primariorum tantum temporum conjunctivos usurpari de rebus quae evenire posse dicantur: in Taciti historiis et annalibus complures inveni locos in quibus praeteriti conjunctivum in protasi, indicativum in apodosi positum non possis aliter explicare quam eo quod incertum fuisse condicionis eventum significatur.

In historiis, IV, 6, refertur, Helvidio Prisco Marcellum delatorem accusante in partes diductum esse senatum: „nam si caderet Marcellus, agmen reorum sternebatur.“ Quae quicunque attente legerit, intelliget, non eadem esse haec ac si ita esset scriptum: si cecidisset Marcellus, agmen reorum stratum esset, — sed describi rerum statum, qualis esse videbatur aequalibus, maxime senatoribus. Quos si loquentes induxisset scriptor, haec fere eorum essent verba: si cadat Marcellus, agmen reorum sternitur, quae ad praeteritum tempus translata id ipsum efficiunt quod legimus. Ceterum latinis verbis plane respondent nostra: „Wenn Marcellus fiel, so wurde ein ganzer Haufe von Denuncianten von Profession zu Falle gebracht“; quibus utrum ceciderit necne pariter in incerto relinquitur, nisi quod ex nostri sermonis more etiam in protasi est indicativus. Cum hoc loco plane conveniunt complures annalium: III, 13 quod (ambitiose avareque habitam Hispaniam) neque convictum noxae reo, si recentia purgaret, neque defensum absolutioni erat, si teneretur majoribus flagitiis XIII, 39 nec tamen proximo itinere ductae legiones quae si amnem Araxen qui moenia adluit, ponte transgrederentur, sub ictum dabantur, nec differt hic: h I, 13 credo et rei publicae curam subisse frustra a Nerone translatae (i. e. quae frustra a Nerone translata erat), si apud Othonem relinqueretur. Eadem fortasse est ratio enunciati ex conjunctione consecutiva suspensi: h III, 63 tanta torpedo invaserat animum, ut si principem eum fuisse ceteri non meminissent, ipse oblivisceretur. In his omnibus locis ipse imperfecti conjunctivus in protasi usurpatus docet Tacitum non suum de rerum statu judicium tradere, sed ipsum statum qui tum erat priusquam evenit aut non evenit condicio describere. Sed nescio an etiam

unus locus, cujus in protasi est plusquamperfecti conjunctivus, huc pertineat: h IV, 13 eadem Hordeonius Flaccus praesens monuerat, inclinato in Vespasianum animo et rei publicae cura, cui excidium adventabat, si redintegratum bellum et tot armorum milia Italiam inrupissent, ubi rerum statum non qualis Tacito fuisse videtur, qui non evenisse eam condicionem novit, sed qualis vel ipse vel ex Hordeonei Flacci sententia erat, describi nemo non videt.

Sed haec hactenus: pergamus ad tertium genus, quod est earum condicionum, quae non evenire vel evenisse dicuntur. Cujus usitatissima forma ea est, ut conjunctivus sit et protaseos et apodoseos praedicatum. Est haec apud Tacitum nequaquam tam rara quam plerique putant. Invenitur enim in utraque sententiae parte conjunctivus imperfecti: D 1, 41, h II, 76, 77 a II, 35, 71 plusquamperfecti: D 41 A 16, 26, 37 h I, 37 II, 14, 66 III, 9, 23 III, 40, 71, 77, 80 IV, 34 V, 18 a I, 39 II, 39 III, 53 (quodsi mecum ante viri strenui, aediles, consilium habuissent, nescio an suasurus fuerim cet.) IV, 13 XII, 16, 37, 38, 42, 54; in protasi imperfectum, in apodosi plusquamperfectum hi exhibent loci: D 4, 34, A 23 a XII, 37 XIII, 49, contra in protasi plusquamperfectum, in apodosi imperfectum hi: D 10, A 2, 34 h II, 62. Videmus igitur in annalibus pauciora esse quam in historiis exempla. Contra plura in illis obliquae orationis inveniuntur, e quibus primae speciei respondet unum: XV 24 secundae haec: II, 31, 73 IV, 18 XIV, 29 XVI 24, in quibus omnibus praeter unum (XIV, 29) omissum est fuisse, quartae unum: XI, 16. Historiarum exempla non sunt in obliqua oratione, contra in enuntiato consecutivo: I, 26, in relativo IV, 7.

Atque haec in universum, deinceps quaedam singillatim de talium sententiarum apud Tacitum formatione sunt dicenda.

Satis constat saepe in condicionalium enuntiatorum et protasi et apodosi Latinos de rebus praeteritis, tanquam oculis obversarentur, loquentes collocasse imperfectum, ubi nobis usurpandum est plusquamperfectum. Hujus moris apud Tacitum non amplius quam duo sunt exempla, utrumque in annalibus et quidem in orationibus, aeterum in recta XII, 37 alterum in obliqua XI, 36. In ceteris omnibus ejusmodi enuntiatis a nostro more ille non abscedit.

Porro de essem et forem formarum usu quaedam sunt dicenda, liceatque quae de hoc etiam in ceteris condicionalium sententiarum generibus possunt observari, hic colligere. Qua in re a reliquis scriptis secernendus est dialogus de oratoribus, quippe in quo ubique sit forma esset, et per se posita c. 41 et conjuncta cum participiis c. 1 (proferenda, repetendus) c. 10 et 41 (natus) c. 42 (exactus). Praeterea

autem haec animadverti: In apodosi conjunctivum plusquamperfecti passivorum ubique cum forma forem composuit Tacitus: A 16, 26, 37 h II, 14 III, 77 V, 18 a IV, 13 XII, 16 contra deponentium ubique cum essem: h I, 37 a XII, 37 eandemque formam simplicis verbi adhibuit a II, 71.

In protasi forem et essem formarum usus non plane idem est in Agricola et historiis atqua in annalibus: In illis sicut in apodosi usurpavit essem, ubi est copula A 2 h II, 76, forem semel conjunxit cum participio passivi h III, 80; in annalibus formam essem bis habet semel cum deponentis, semel cum passivi participio conjunctam: IV, 30 XII, 42; praeterea forem, et quidem per se positam II, 35, cum passivi participiis conjunctam in sex locis: II, 39 III, 14, 16 IV, 71 XI, 10 XII, 38.

Quibus collatis fit manifestum, id esse in earum formarum usu secutum Tacitum, ut vitato quotidiano sermone minus usitate scriberet: Quoniam in apodosi verbi substantialis forma foret solebat adhiberi, contra plusquamperfecti conjunctivus ex participio et essem conformari, ipse contrariam secutus est rationem. Et sicut multis in rebus ita in hac longius in annalibus provectus etiam in protasi formae essem loco, quae huic magis erat et accommodata et usitata, paene ubique adhibuit: forem. In solius deponentis plusquamperfecto uti ea forma non videtur ausus.

Denique in singulis scriptis ad introducendas condiciones varias usurpavit particulas: in Agricola ubique legimus: quod nisi (ni) 16, 26, 37 in historiis semel est et ni III, 80, in annalibus ubique ac ni: I, 39 IV, 13, XII, 16, 35; semel tantum: ni IV, 71 ubi de se loquitur scriptor.

Deinceps est de iis sententiis disputandum, in quarum apodosi est adhibitus indicativus. Quarum rursus plura genera sunt distinjuenda, primum earum, in quibus ipsa apodoseos ejusque praedicati natura secundum Latinorum consuetudinem poscat indicativum. Talia praedicata sunt: posse, debere, videri decere, justum esse, perfecta cum adverbiis paene, prope, participia futuri cum verbo substantiali conjuncta. Primum igitur in his construendis quas leges sequatur Tacitus, quaeramus.

Verbi posse plerumque imperfecto usi sunt aurei saeculi scriptores: In eo, quod in minoribus scriptis ubique, aliquoties in historiis posuit perfectum, (D 17 A 31 h III, 9 IV, 34) suae aetatis morem videtur secutus Tacitus. A quo bis recessit in historiis, semper in annalibus, nimirum consilio (h III, 41, IV, 19 a XIV, 3, XV 10). — In obliquam orationem translati hujusmodi enunciati exemplum est h. II, 26.

Ad verbi posse similitudinem etiam verbi pollere indicativum in apodosi adhibitum referendum censeo. Legimus in historiis III, 55 tot milia armatorum, lecta equis virisque, si dux alius foret, inferendo quoque bello satis pollebant, — qui locus est ei, quem supra memoravi: h III, 41 simillimus.

Ceterum unus exstat locus, ubi etiam verbi posse conjunctivum non aspernatus est scriptor, h. III, 40; accedit verbi nequeo plusquamperfecti conjunctivus, eodem modo usurpatus h. IV, 34.

Praeterea annotandum est, quod in primi generis enuntiatis rarissimum esse vidimus, bis in protasi plusquamperfecti loco positum esse imperfectum. h III, 41 a XIV, 3, cf. h III, 55.

Verbi debere pariter constructi unum exstat exemplum, ubi ejus passivum fortiore vi adhibetur: h V, 26; in obliqua oratione legitur debuisse h IV, 85.

Ex verbi decere et locutionis: justum est, similitudine tribus in locis explicandus est indicativus: h I, 15 Si te privatus lege curiata apud pontifices, ut moris est, adoptarem, et mihi egregium erat Cn. Pompei et M. Crassi subolem in penates meos adsciscere et tibi insigne, Sulpiciae ac Lutatiae decora nobilitati tuae adjecisse, h I, 16. Si immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset, dignus eram, a quo res publica inciperet, ann. I, 42 nos, ut nondum eosdem ita ex illis ortos si Hispaniae Suriaeve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat.

Quod h V, 11 legimus: Ipsi Tito Roma et opes voluptatesque ante oculos, ac ni statim Hierosolyma conciderent, morari videbantur, — non tam ex verbi videri natura, quam ex eo, quod ex Titi sententia sunt dicta, interpretanda existimo.

Adverbium prope indicativi causa est uno in loco: h I, 64, quocum conferas similem h IV, 46.

Consilio ad finem servavi disputationem de participio futuri activi cum verbo substantiali conjuncto, in cujus usu a priore consuetudine recessit Tacitus, quippe qui verbo esse semper omisso participium ipsi structurae inserat. Sex collegi exempla: nominativus est in his: h III, 56 IV, 39 accusativus in hoc a III, 66 ablativus in duobus h III, 56 IV, 39, quibus duo addere licet ex praesenti historico suspensa et ob eam causam ad praesens tempus translata: h III, 19 a I, 45; usitatae constructionis ne unum quidem inveni exemplum.

Uno in loco h II, 77 conjunctivus esset cum participio futuri est conjunctus. Jure; nam si scriptum esset ‚erat', id significaret: cujus filium adoptassem, si ipse imperarem; vult autem haec exprimere Tacitus: cujus filium adoptarem, si ipse imperarem. Quorum in locum quae substituit, et melius cadunt et tantummodo fictam esse condicionem magis declarant.

Porro nonnunquam per oratoriam quandam figuram id, quod si evenisset condicio necessario esset factum, plusquamperfecti indicativo significatur: Apud Ciceronem non frequens est haec figura, crebrior apud inferioris aetatis scriptores, creberrima apud Senecam.

In Taciti non modo minoribus scriptis sed etiam historiis nullum ejus exstat testimonium, ut opinor, quod a Seneca ejusque sectatoribus ita erat trita, ut ejus temporis auribus non jam esset accommodata. In solis annalibus aliquot reperiuntur tales loci: XI, 37 IV, 9, VI, 49 (43), quanquam ne id quidem ab omnibus conceditur. Jungclausenius quidem priores duos locos ita accipit, ut quod apodosi pronuntiatur, revera factum et tantummodo abruptum dicat. Videtur in primo loco: ac ni caedem ejus Narcissus properavisset, verterat pernicies in accusatorem — verterat interpretari: es hatte bereits eine Wendung gegen den Ankläger genommen; quod falsum esse docent haec: a XIII, 37: ita consilia Tiridati in contrarium vertebant XIV, 31 quod contra vertit i. e. evenit.

Pariter in secundo loco: ac si modum orationi posuisset, misericordia sui gloriaque animos audientium impleverat, — revera a Tacito dici Tiberium misericordia sui gloriaque implevisse senatorum animos mihi persuadere non possum. De tertio loco: Ac si statim, interiora ceterasque nationes petivisset, oppressa cunctantium dubitatio et omnes in unum cedebant, — omnino non potest esse dubitatio; nec de scripturae integritate cur dubitemus est causa, quoniam quominus simul audiatur ‚erat' secundum legem a Nipperdeio ad I, 7 observatam nullum est impedimentum.

Imperfecti indicativi in ejusdem sententiae extrema parte usurpati nullum aliud est certum exemplum; nam in hoc: h IV, 18 Sic in Galliasque Germaniasque intentus, si destinata provenissent, validissimarum ditissimarumque nationum regno imminebat, — potius e Civilis sententia dictus videtur conjunctivus: provenissent. — Docet Madvigius solum copulae imperfectum hoc modo usurpari. Quo ex usu fortasse eae sententiae sunt explicandae, in quibus apodoseos vice fungitur ad-

jectivum ex primariae sententiae subjecto aptum: h II, 5 bis 91 III, 41 cf. h II, 28 et in oratione obliqua: h I, 52.

Venio nunc ad id genus condicionalium enunciatorum in protasi conjunctivum, in apodosi indicativum praebentium, in quibus propriam suam vim obtinens indicativus aliquid quod non in sola cogitatione sed in ipsa re versatur significat. Videntur ea, quae modo dixi inter se repugnare, quoniam si protasi aliquid continetur tantummodo cogitati etiam apodosi aliquid quod non revera est exprimi oportet.

Et sane hoc genus perfectis et absolutis sententiis condicionalibus annumerari non potest: est in eo anomalia quaedam oratoria. Ceterum non est ab ipso Tacito inventum, sed etiam apud priores et apud ipsum Ciceronem quaedam quanquam pauca ejus memorantur a grammaticis exempla. Sed horum comparatione non opus est: satis omnium quae ille ejusmodi formavit exemplorum, pertractatio a quibus initiis quomodo sit profecta ea figura, docebit. Nam ut in linguam latinam non subito, sed sensim irrepsit, ita eam apud Tacitum ab incunabulis usque ad perfectionem per singula scripta licet persequi. Toti generi id est commune, ut per nisi vel ni particulam in initio protaseos positam atque per plusquamperfecti conjunctivum id, quod continetur apodosi plerumque praecedente, vel irritum factum vel sublatum vel abruptum declaretur. Contra apodoseos varia est forma et vis, quippe qua status vel actio aut perfecta aut inchoata indicetur. Nos de illa specie, quae est simplicior, primum dicemus.

Antiquissimum ejus apud Tacitum exemplum est in dialogi de oratoribus extremo capite, ubi postquam peroravit Maternus, Messalla: erant, inquit, quibus contradicerem, erant de quibus plura dici vellem, nisi jam dies esset exactus. Existimet aliquis relativis sententiis: „quibus contradicerem" et „de quibus plura dici vellem" contineri apodosin. Mihi multo fortior esse videtur sententia, quae efficitur, si omnia ab erant usque ad vellem pro apodosi, contradicerem et vellem pro qualitatis conjunctivis accipiuntur: Quaedam rectius, quaedam copiosius dici vellem; sed quoniam jam exactus est dies nec contradicam, nec ut plura dicantur postulabo. Neque tamen id nego, in ipsis relativis sententiis esse hypotheticam quandam vim, qua ita mollitur indicativi durities, ut omnium simplicissimam esse hanc formam concedendum sit. — Pariter historiarum locum. III, 81: nec deerant qui propellerent proculcarentque, ni admonitu modestissimi cujusque et aliis minitantibus omisisset intempestivam sapientiam, — esse accipiendum ex temporum in protasi et apodosi adhibitorum discri-

mine concludo. Et confirmatur haec sententia collato annalium exemplo, ubi postposita apodosis docet, non esse conjunctivi in relativo enunciato adhibiti causam in condicione sitam: I, 69 ac ni Agrippina impositum Rheno pontem solvi prohibuisset, erant, qui id flagitium formidine auderent. Ceterum non est casu factum, ut in ipsis annalibus inversus sit enuntiatorum ordo: est hic multo durior et insolentior, ille simplicior et frequentior.

A prima specie ea, de qua deinceps est dicendum, eo differt, quod deest relativa sententia et per solum plusquamperfectum aut imperfectum id exprimitur, cujus sublati indicium est protasis, causa id quod hac continetur. Crebrius est plusquamperfectum, cujus in historiis et annalibus bina reperiuntur exempla: h III, 15 et Britannia Galliaque et Hispania auxilia Vitellius acciverat, inmensam belli molem, ni Antonius id ipsum metuens festinato proelio victoriam praecepisset. h III, 27 in cesserat cunctatio, ni duces fesso militi et velut inritas exhortationes abnuenti Cremonam monstrassent, a VI, 15 (9) contremuerantque patres . . ., ni Celsus urbanae cohortis tribunus, tum inter judices, Appium et Calvisium discrimini exemisset. XV, 50 hic occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia tanti decoris testis pulcherrima (pulcherrimum ad facinus, Orellius) animum exstimulaverant, nisi impunitatis cupido retinuisset. Nemo, ut opinor dubitabit, quin in his omnibus propriam vim obtineat plusquamperfecti indicativus; nisi forte quis in tertio contremuerant pro contremuissent esse positum putet; sed hujus notionis nequaquam ea est gravitas, ut possit excusari indicativus; accedit quod ipsa plusquamperfecti vera vis bene convenit sententiae. — Minus insolens foret ea structura, si plusquamperfecto adjecta esset particula jam. Ceterum simillimam structuram duo exhibent annalium loci, ubi in condicionalis particulae locum substitutum est donec: XIII, 44 commoveratque quosdam magnitudine exempli, donec ancilla ex vulnere refecta verum apuerit. cf. XV, 9 reliquas (legiones) promiscis militum commeatibus infirmaverat, donec adventare Vologesen magno et infenso agmine auditum.

In his omnibus exemplis actio aut certe motus significatur apodoseos praedicato. Liquet, ubi status, non motus erat exprimendus, plusquamperfecti loco usurpari potuisse imperfectum. Quare nullius momenti esse puto, quod in solis annalibus hoc invenitur, duobus in locis: I, 23: ac ni propere neque corpus ullum reperiri et servos adhibitis cruciatibus abnuere caedem neque illi fuisse unquam fratrem pernotuisset, haud multum ab exitio legati aberant. II, 45 Quibus (Semnonibus ac Langobardis) additis praepollebat, ni Inguiomerus cum manu

clientium ad Maroboduum perfugisset. — Id tantum monendum est hujus quoque speciei collocationem semel esse inversam.

Porro huc pertinent obliquae orationis aliquot exempla, e quibus duo: A 13. Agitasse Gaium Caesarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio mobili paenitentiae, et ingentes adversus Germaniam conatus frustrá fuissent et a. III, 16 amicos ejus dictitavisse .... destinatum promere apud patres principemque arguere, ni elusus a Sejano per vana promissa foret, — talia sunt, ut si huc revocavero, vix quisquam contradicturus sit; contra in Agricolae alio loco: c 4: memoria teneo, solitum ipsum narrare se prima in juventa studium philosophiae acrius ultra quam concessum Romano ac senatori hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem, animum coercuisset — plerique ex imperfecto hauriebat i. e. haurire coeperat explicant perfecti infinitivum. Non recte: vix enim quisquam afferat locum, in quo infinitivus perfecti nude positus indicet inchoatam actionem. Sine dubio id confessus dicitur Taciti socer, se aliquantisper nimis acriter philosophiae studio se implicuisse, deinde autem a matre ut coerceret flagrantem animum esse admonitum. Est igitur praeferenda Jungclauseni sententia qui plusquamperfecto hauserat respondere infinitivum judicat.

Inchoata actio aut verbis coepisse, parare, aliis aut solo imperfecti indicativo exprimitur. — Illius speciei primum exemplum est in Agricola, ubi in c. 37. scriptum est: Et Britanni .... degredi paulatim et circumire terga vincentium coeperant, ni id ipsum veritus Agricola quattuor equitum alas ad subita belli retentas, venientibus opposuisset. Cum hoc plane conveniunt duo historiarum: III, 46 jamque castra legionum exscindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset. IV, 36 eadem in Voculam parabantur, nisi servili habitu per tenebras ignoratus evasisset, — atque tria annalium: I, 23 quin ipsae inter se legiones octava et quinta decuma ferrum parabant, ... ni miles nonanus preces et adversum aspernantis minas interjecisset. XI, 10 et reciperare Armeniam avebat, ni a Vibio Marso, Suriae legato, bellum minitante, cohibitus foret. XIII, 5 quin et legatis Armeniorum causam gentis apud Neronem orantibus escendere suggestum imperatoris et praesidere simul parabat, ni ceteris pavore defixis Seneca admonuisset, venienti matri occurreret. Audacior est haec structura: II, 46 sperabaturque rursum pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset. Inversus est sententiarum ordo in hoc exemplo: IV, 71. Ni mihi destinatum foret suum quaeque in annum referre, avebat animus antire; de quo idem valet, quod de primae speciei locis supra diximus. — Ea, quae restát figura,

a ceteris omnibus eo differt, quod in solis reperitur annalibus et quod in omnibus ejus exemplis priorem locum obtinet apodosis. Undecim sunt loci: I, 35 ferrum a latere deripuit elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam dexteram vi attinuissent. I, 63 trudebanturque in paludem gnaram vincentibus iniquam nesciis, ni Caesar productas legiones instruxisset I, 65 Caecina . . . suffosso equo delapsus circumveniebatur, ni prima legio sese opposuisset III, 14 effigiesque Pisonis traxerant in Gemonias ac divellebant, ni jussu principis protectae repositaeque forent. III, 28 et terror omnibus intentabatur, ni Tiberius statuendo remedio .... sorte duxisset cet. IV, 30 ibaturque in eam sententiam, ni . . . . palam pro accusatoribus Caesar inritas leges, rem publicam in praecipiti conquestus esset. XI, 34 nec multo post urbem ingredienti offerebantur communes liberi, nisi Narcissus amoveri eos jussisset. XIII, 2 ibaturque in caedes, nisi Afranius Burrus et Annaeus Seneca obviam issent. XVI, 32 simul in amplexus occurrentis filiae ruebat, nisi interjecti lictores utrisque obstitissent, — denique duo, in quibus nec, ne — quidem particulae cum verbo unam efficiunt notionem: II, 10 quominus pugnam consererent ne flumine quidem interjecto cohibebantur, ni Stertinius accurrens plenum irae . . . Flavum attinuisset. XII, 39 nec ideo fugam sistebat, ni legiones proelium excepissent. Sine dubio addendae sunt duae tales sententiae ex particula consecutiva suspensae: XV, 55. Incusat ultro intestabilem et consceleratum, tanta vocis ac vultus securitate, ut labaret indicium, nisi Milichum uxor admonuisset cet. XVI, 14. Inter damnatos quam inter reos Antejus Ostoriusque habebantur, adeo ut testamentum Antei nemo obsignaret, ni Tigellinus auctor exstitisset. — In his omnibus locis movendi verba sunt praedicata ut quae, cum plura contineant momenta, ad exprimendum factum initium maxime sint idonea. Ceterum si ad hunc exemplorum numerum respicimus, fit manifestum, cur condicionalium enuntiatorum usitatissima forma rarior sit in annalibus.

Sed pergamus ad ejus figurae significationem. Zumptius contendit, in plerisque locis in conjunctivi plusquamperfecti locum substitutum esse imperfecti indicativum, nisi quod per mobilitatem quandam ingenii pro veris ponantur, quae tantum sint cogitata, idque uno exemplo (III, 14) demonstrare studet. Et sane id nemo negat, implicite etiam hanc vim omnibus inesse exemplis, at concedendum erat Zumptio, plus inesse, quod in unoquoque exemplo adeo est perspicuum, ut singillatim demonstrare non opus sit. — Si denique est hoc genus ab eo, quod in apodosi habet conjunctivum, breviter distinguendum, ita dicam:

indicativus est in narrando describentis et depingentis, conjunctivus referentis et judicantis.

Omnibus autem, quae disseruimus, adeo id confirmatur, quod supra contendi, ab usitatioribus formis ad minus usitatas per singula scripta progressum esse Tacitum, ut rursus invenisse videatur, quod saeculo ante jam formaverat lingua latina.

Sed his expositis de rectae orationis condicionalibus enuntiatis finita est disputatio; quodsi, quid in horum formatione proprium sit Taciti quaeritur, id primum patet, quam plurimorum generum usu eum variare orationem studuisse, neque tamen promiscue singula usurpasse, immo variis formis varias res rationesque non sine constantia quadam exprimere esse solitum. Deinde apparet, pertinere haec quidem ad omnia ejus scripta, sed magis elucere ex majoribus, maxime ex annalibus.

Pergamus nunc ad condicionalia enuntiata obliquae orationi inserta, de quibus non sine fructu erit disputatio. Sed cum in minoribus opusculis tam exiguus sit exemplorum numerus, ut vix possit de his aliquid certi statui, de solis historiis et annalibus dicemus.

Satis constat, concessum esse historicis in obliquae orationis secundariis sententiis, praesentis vel perfecti conjunctivum adhibere, etiamsi illa ex historicis temporibus pendeat. Quod usitatissimum est in longioribus orationibus neque tamen a brevioribus abhorret, dummodo cum alacritate quadam eas referat scriptor. — Quam diligentissime potui, Taciti hac in re usum perscrutatus sum et quae observavi nunc proferam.

Non supervacaneum erit, eas primo segregare sententias, in quibus nunquam usurpatur primariorum temporum conjunctivus. Nam in consecutione temporum summam fuisse Taciti licentiam non pauci putant; Jungclausenius quidem vel talibus in locis: a III, 67 Servos quoque Silani ut tormentis interrogentur actor publicus mancipio acceperat, XIII, 27 scripsitque Caesar, privatim expenderent causam libertorum, quotiens a patronis arguerentur; in commune nihil derogent, — defendi posse librorum scripturam existimat. Ego certe in condicionalibus enunciatis nequaquam tantam esse scriptoris libertatem demonstrare studebo.

Primum igitur semper historicorum temporum conjunctivus adhibetur in iis enuntiatis quibus deest propria apodosis, notio autem ejus vice fungens continetur verbo ex quo pendet condicionalis sententia, ejusque objecto, ut: h IV, 59 veniam ostentantes, si praesentia seque-

rentur a. I, 35 si vellet imperium promptas (res) ostentavere. Eodem pertinent: h I, 22, 28, 75, II, 19 III, 26, 63 V, 11, 18 a. II, 64, 88 III, 15 XI, 37 XII, 12, 29 XIII, 20, 54, 56 XV, 51.

Plane eadem ratio est condicionalium enuntiatorum, quorum apodosis per accusativi cum infinitivo structuram artissime est cum primariae sententiae verbo conjuncta ut h. III, 52 ni praesens urbe poteretur, expertem se belli gloriaeque ratus, — et quae huic sunt similia: h II, 95 III, 3, 7 IV, 80 a II, 80 IV, 54, XII, 2 XIV, 14, 57.

Id quoque memoro, quod quidem huc non pertinet, etiam in consecutivis et finalibus sententiis non usurpari nisi historicorum temporum conjunctivum, quod haec demonstrant exempla: h II, 18, III, 46, 84 IV, 13, 18, 54, 68 a III, 28, 69 XII, 40, 53 XIII, 8, 12, 40 bis 46 XIV, 7 et unum quod relativae sententiae induit formam: a III, 49.

Denique id praemittam, perfecti conjunctivum plusquamperfecti loco rarissime et praeter eas sententias, in quibus crebriorem esse primariorum quam secundariorum temporum conjunctivum videbimus, post solam, „si quis“ particulam usurpari: h IV, 17 a I, 17.

Quodsi quas leges de usurpandis conjunctivi temporibus secutus sit Tacitus quaeritur, seorsum sunt tractandae interrogativae, adhortativae, praedicativae sententiae.

In interrogationibus ubique frequentius est praesens. Sed est haec forma in historiis rara, quippe cujus non amplius sint quam quattuor exempla, quorum in tribus II, 75 IV, 17 V, 25 est praesentis, in uno IV, 4 imperfecti conjunctivus. Multo major — id quod ad alacritatem orationem aliquanti momenti est — in annalibus est interrogationum numerus: Octo sunt, in quibus praesentis (II, 2, 36, 77 III, 34, 58 IV, 40 XI, 16, 23) unus, XIV, 3, in quo perfecti, octo, in quibus historicorum temporum conjunctivus est adhibitus: I, 17, 19 II, 70 III, 58 XI, 23 XIII, 49 XIV, 1, XV, 12.

In adhortativis sententiis usurpatus est: praesentis conjunctivus in historiis bis II, 28 III, 70, in annalibus semel XIV, 61, imperfecti aut plusquamperfecti in illis bis I, 41, 65, in his quater: II, 85 IV, 39, XIV, 8, 38.

De praedicativis enuntiatis paene diversas Tacitus in historiis et in annalibus secutus est rationes.

In historiis haec animadverti: Primum praesentis vel perfecti conjunctivum ad unum omnes ii exhibent loci, quorum in apodosi est

praesentis infinitivus, ut h. I, 21: ac si nocentem innocentemque idem exitus maneat, acrioris viri esse merito perire; ceteri loci sunt: I, 32 bis, 33 III, 2 bis, 38 IV, 7 (etiamsi) 75 bis, 76, 81 V 25. Perfecti exemplum est: V, 25 si Vespasiano bellum navaverint, Vespasianum rerum potiri.

Non pariter sibi constat Tacitus iis in locis, ubi infinitivum esse cum gerundio conjunctum praebet apodosis: quattuor inveni testimonia adhibiti conjunctivi praesentis (I, 33, 56, III, 20, 84) duo imperfecti: III, 1, 28.

Perfecti infinitivus in non amplius quam tribus locis in apodosi est positus, quorum in duobus protasis exhibet praesentis conjunctivum: III, 24 V, 25, in uno plusquamperfecti: IV, 32.

Denique in enuntiatis ad futurum tempus pertinentibus creberrimum est imperfectum et plusquamperfectum. Undecim sunt loci, in quibus haec inveniantur (I, 54 II, 1 bis 83 III, 64, 77 IV, 20, 52, 56, 80, 81), tres, in quibus praesens: III, 19 IV, 55 V, 24.

Vidimus jam supra, in adhortativis et interrogativis sententiis certe prae exemplorum numero frequentiorem esse in historiis quam in annalibus primariorum temporum usum. Id ad tertium quoque sententiarum genus pertinet. — Primum enim in annalibus ea enuntiata omnino non exhibent in protasi praesentis conjunctivum, quae in apodosi esse cum gerundio ant perfecti infinitivum. (Historicorum temporum conjunctivi exempla sunt: IV, 15 VI, 29 (23) XI, 16; XIV, 35.)

Deinde eorum, quorum apodosis ad praesens tempus pertinet, octo tantum reperi in quibus praesentis conjunctivus sit usurpatus: II, 14 bis III, 33, 34, 47 VI, 28 (22) XVI, 1, 22, plus quam viginti, in quibus imperfecti aut plusquamperfecti. Memoro, in historiis tantum esse tres, in annalibus quinque locos, (h III, 38, IV, 75 V, 25 a. I, 36 II, 14, 76, XI, 28 XVI, 25) ubi alius sit infinitivus praesentis atque esse (h I, 21 IV, 76 a XV, 1 XVI, 22) et posse (h IV, 81, a I, 81 II, 26 IV, 24, XI, 16, 28 XIII, 37), in plerisque autem omissum esse verbi substantialis infinitivum, — quae tamen omnia e talium sententiarum natura facile possunt explicari.

Animadvertimus supra, in historiis minime frequentem esse conjunctivi praesentis de rebus futuris usum; in annalibus haec ipsa species crebrior est quam ea de qua modo diximus: sex sunt tales loci: I, 29, 48 II, 77 IV, 17 XII, 41 XIV, 61, contra in quindecim historicis temporibus usus est Tacitus.

Nihilominus, si omnia comprehendimus, manifestum est, multo rarius in annalibus quam in historiis primariorum temporum conjunctivum adhiberi in obliquae orationis condicionibus. De causa difficile est judicium. Fortasse Taciti nove et insolite dicendi studio, quod, ut omnia quae Taciti sunt propria, maxime est in annalibus expressum, factum est, ut primariorum temporum conjunctivum crebro ab historicis in obliqua oratione usurpatum vitaret neque tamen, ne nimis varietate careret oratio, plane sperneret.

Nolo in fine disputationis meae singillatim repetere, quae supra animadversa sunt: satis demonstrasse mihi videor, etiam in condicionalium enuntiatorum formatione inter singula Taciti scripta non modo intercedere discrimen, sed etiam progressum.

Haec habui, quae dicerem de Taciti in formandis condicionalibus sententiis ratione.



